

*Innocentem & justum ne occidas.* Si ergo iste innocens & justus non fuit; cur proponitur imitandus? Si autem innocens & justus fuit; quare interfectus innocens & justus, id est, ipsius Razii, insuper putatur esse laudandus? Hæc interim, ne nimium proluxa fiat, huic epistolæ implendæ satis sint. Debeo autem Tamugadensibus ejusmodi ministerium charitatis; quoniam mihi & \* voto tuo & ab honorabili & \* *Al. note* charissimo filio, Eleusino, qui Tribunatum apud eos egit, bene insinuatæ sunt, ut ambabus epistolis Gaudentii, Donatistarum episcopi, & maxime posteriori, quam secundum Scripturas sanctas se fecisse arbitrat, ita respondeam, ne aliquid prætermisum putetur.

## EPIST. LXII.

Augustinus Cœlestino, diacono, de mutua benevolentia.

*Domino venerabili nimiumq; desiderabili, sancto fratri & con-*  
*diacono, Cœlestino, Augustinus in Domino salutem.*

*Meminit**Posid. in**Ind.**\* Al. Prole-*  
*ctum,*

Quamvis longè absens fuerim, quando per \* Projectum, clericum, ad me directæ Hipponem Sanctitatis tuæ scripta venerunt; tamen posteaquam veni, eis que lectis rescriptorum debitorem me factum esse cognovi, reddendi tempus opperiebar: & ecce subito profecturi à nobis charissimi fratris nostri, Albini, acoluthi, gratissima occurrit occasio. De tua igitur, quæ mihi exoptatissima est, salute lætatus, Sanctitati tuæ salutationem debitam reddo. Semper autem debeo charitatem, quæ sola, etiam reddita, semper detinet debitorem. Redditur enim, cum impenditur: debetur autem; etiam si reddita fuerit: quia nullum est tempus, quando impendenda jam non sit: nec cum redditur, amittitur; sed potius reddendo multiplicatur: habendo enim redditur; non carendo: & cum reddi non possit, nisi habeatur, nec haberi potest, nisi reddatur: imò etiam cum redditur ab homine, crescit in homine, & tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. Quomodo autem negetur amicis, quæ debetur & inimicis? Sed inimicis cauta impenditur, amicis secunda rependitur. Agit tamen, quantum potest, ut ab his etiam, quibus pro malis bona retribuit, id recipiat, quod impendit. Optamus quippe fieri amicum, quem veraciter diligimus inimicum, quia non eum diligimus; nisi velimus bonum; quod utique non erit; nisi amiserit inimicitarum malum. Non ergo sic impenditur charitas; ut pecunia. Excepto enim, quòd impendendo illa diminuitur, hæc augetur; etiam illo inter se differunt, quòd pecuniam cui dederimus, tunc ei benevolentiores erimus, si recipere non quæramus: non

312.

*Matth. 5,*

44.

S s

autem